



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

56 Bona ecclesiae male alienata ad ecclesias, nullo pretio restituto,  
revertuntur, & num. 64.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

lita, immobilia, & pretiosa mobilia Deo dicata, ex quibus, Ecclesie, Monasteria, & pia loca reguntur, ac illustrantur, & eorum ministri sibi parant alimoniam profanis usibus applicari, aut cum maximo illorum, aut divini cultus detrimento, exquisitis mediis usurpare præsumunt, occurrere cupiens, omnium rerum, & bonorum ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium, concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem ultra triennium, necnon infeudationem, vel contractum emphyteuticum, præterquam in casibus à jure permixtis, ac de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, & tunc cum Ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus, & bonis, qui servando, servari non possent, pro tunc temporis exigentia, sua perpetuo valitura constitutione prohibuit prædecessorum suorum constitutionibus, prohibitionibus, & decretis aliis super hoc editis, quæ ejusdem constitutionis tenore innovavit, in suo robore permanentibus, & si quis contra dictæ suæ prohibitionis ferriam de bonis, & rebus ejusdem quidquam alienare præsumeret, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductione, & infeudatio ipsa nullius omnino essent roboris, vel momenti, & tam, qui alienaret, quam is, qui alienatas res, & bona prædicta reciperet, sententiam excommunicationis incurreret.

Alienantem verò bona Ecclesiarum, monasteriorum, locorumque piarum quorumlibet, inconsulto Romano Pontifice, aut contra dictæ constitutionis tenorem, si Pontificali, seu Abbati ali præful-

geret dignitate, ingressus Ecclesie esse penitus interdictus, & si per sex menses immediatè sequentes sub interdicto hujusmodi animo (quod absit) perseveraret indurato, lapsis mensibus eisdem à regimine, & administratione suæ Ecclesie, vel monasterii, cui præsideret, in spiritualibus, & temporalibus, esset eo ipso suspensus.

Inferiores tamen verò Prælati, Commendatarii, & aliarum Ecclesiarum rectores beneficia, vel administrationem quomodolibet obtinentes, prioratibus, præposituris, præpositatibus, dignitatibus, personalibus, administrationibus, officiis, canonicatibus, præbendis, aliisque ecclesiasticis cum cura, & sine cura, sæcularibus, & regularibus beneficiis, quorum res, & bona alienarunt, duntaxat, ipso facto privati existerent, illaque absque declaratione aliqua vacare censerentur, possentque per locorum Ordinarios, vel alios, ad quos eorum collatio pertineret, personis idoneis, illis exceptis, quæ propterea privata forent, liberè de jure conferri, nisi aliàs dispositioni Apostolicæ Sedis essent specialiter, vel generaliter reservata.

Nihilominus tamen alienata res, & bona hujusmodi ad Ecclesias, monasteria, & loca pia, ad quæ ante locationem hujusmodi pertinebant, liberè reverterentur, & dicta constitutio corrigit jus antiquum, & plures removet quæstiones, & difficultates à Doctoribus, & præsertim à Redo. in d. tract. de reb. Eccles. non alienan. & à Rebuff. in suo comp. eod. tit. subtiliter tactas. Et Episcopis, Abbatibus, Capitulis, & aliis personis ecclesiasticis tollit omnem facultatè bona ecclesiasti-

ea, inconsulto Romano Pontifice, alienandi, ut in eadem extravag. ibi, alienanti verò.

§7 Quòdque omnes alienationes bonorum ecclesiasticorum sine Pontificis auctoritate sint nullæ, respondendo ad contraria, tenet Navarr. de alien. rerum Eccles. num. 14, versic. 2. & in casu nostro, tom. 1. quæ, juramenti in contractibus appositis, convalidati non possunt, quia contractus hujusmodi non dependet à voluntate contrahentium, sed Patris, qui est dominus omnium beneficiorum, cap. 2, de praben. in 6. Gomez. in proem. reg. cancell. cum supra alleg. in cap. 12, num. 8. Nam juramenta contra Constitutiones Apostolicas facta, sunt illicita, & non servanda, cap. Significavit, & cap. gravis, de cens. Et prædicta conclusio adeò est vera, & dicta extravag. usu recepta, etiam quampluribus decretis à visitatoribus Apostolicis, Conciliis Provincialibus, & synodalibus intimata, & ad omnium notitiam deducta, ut omnes alienationes, perpetuæ permutationes ad tertiam generationem, & ad quodcumque tempus ultra triennium locationes auctoritate Apostolica per litteras, si in evidentem, in Romana curia expendantur, & Ordinariis locorum, ac alteri dignitatem in cathedrali ecclesia habenti insolita, & satis notoria forma committantur, & procedit etiam in bonis à Regularibus, Confraternitatibus, & locis piis quibuscunque alienandis, ut in eadem extravag. & tenet Navarr. ubi supra, num. 15, & num. 19, vers. Sed contrarium, cum comprehendat alienantes bona Ecclesiarum, Monasteriorum, locorumque piotum quorumlibet, quæ ÷ dictio, quorumlibet, ut generalis, omnia bona comprehendit, & nihil intactum relinquit, l. 1, §. generaliter, ff. de leg. præst. l. de pretio, ff. de public. in rem act. & Aymon. consil. 133, num. 5, & 6, volum. 1. Alienationes verò, permutationes, locationes, ultra triennium, ac in emphyteusim concessionem de prædictis bonis sine Pontificis beneplacito, & consensu, sunt ipso jure nullæ, ut in eadem constitutione, ibi, nullius sint roboris, vel momenti. Navarr. eodem tit. num. 13. Et Pontificis consensus non præsumitur, ut post Alexand. cons. 9, colum. fin. volum. 2, & cons. 17, colum. 2, vers. nec potest dici, volum. 4. probat Maschard, de probat. concl. 1322, numer. 30.

Præterea bona ÷ ecclesiastica immobilia, & pretiosa mobilia alienans sine Pontificis consensu.

Primò, si est Episcopus, vel Abbas, poenam interdicti ab Ecclesia incurrit, & si per sex menses animo perseveraverit indurato, à regimine suæ Ecclesiæ eo ipso est suspensus, ut in d. extravag. & cap. quicumque, cap. omnes Ecclesia 17, quest. 4. & Rebuff. in compend. alien. rer. Eccles. num. 109, & 110.

Secundò Episcopis, & Abbatibus, in provisionibus suarum Ecclesiarum expeditur particularis Bulla, cujus vigore priusquam assequantur possessionem de non alienando bona suarum Ecclesiarum, & de malè alienatis pro posse recuperandis, juramentum præstare tenentur.

÷ Et bona contra dicta extravag. formam alienantes, poenam perjurii incurunt, ut ibidem Rebuff. num. 13. omnesque bene-